



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1702. usque ad annum 1708

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1781**

**VD18 13322648**

§. 31. Abyssini unacum Rege suo Ecclesiæ Romanæ reconciliati.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67633)

Sæc. XVII. eo rem deduxit, ut annuente Cod-  
A.C. 1703. deo Gerardus Potcampus Vir gravi  
 senio venerandus, pacisque studiosissi-  
 mus in Vicarium Apostolicum eligeretur,  
 quo tamen post bimestre defuncto  
 Bussius Coloniensis Ecclesiæ Canoni-  
 cum nomine Dameum subrogare nite-  
 batur, obstiterant tamen utriusque Ec-  
 clesiæ Canonici, qui alios elegere Vi-  
 carios, ut vocant, Generales, datis  
 quoque ad Paluccium Cardinalem lite-  
 ris, in quibus audiri, ac in sua patria  
 a Judicibus legitimis judicari postulan-  
 tes declarabant, quod quamvis jus  
 suum omnino certum, ac minime du-  
 bium crederent, si tamen hi Judices  
 illud minus firmum esse censuerint,  
 sine hæsitatione ab illius defensione de-  
 sistere parati essent. Sequenti tamen  
 anno Pontifex hujus Ecclesiæ regimen  
 Julio Piazzæ Coloniensi Nuntio com-  
 misit, vehementer reclamantibus Cano-  
 nicis, quorum contumacia interminato  
 anathemate nonnihil repressa est. Fer-  
 vente autem hoc tumultu Jesuitæ Bre-  
 stensem Parochiam armata ferme manu  
 sibi vendicarunt.

## §. XXXI.

*Abissini unacum Rege suo Ecclesiæ  
 Romanæ reconciliati.*

Flo-

Floruit equidem, uti memoravimus, Sæc. XVII. A. C. 1703.  
 in Abyffinorum Regno religio Ca-  
 tholica, quam ipfemet Susneus Rex  
 unacum Claudio, & Basilide filiis suis,  
 pluribusque aliis palam amplexatus  
 erat. Mortuo autem Rege ejus Filius  
 Basilides seu Adiam - Saged, quam-  
 primum Regni clavum moderari cæpe-  
 rat, Jefuitas omnes Imperio ejecit, a-  
 lios sub falso obtentu crudeliffima morte  
 enecari juffit, cunctisque ejus fubditis  
 omne commercium cum Europæis in-  
 terdixit, ipfe vero juramentum, quo feſe  
 Romanæ Ecclefiæ, vivente adhuc Patre  
 ſuo obſtrinxerat, violavit, & Fratrem  
 Claudium, ejusque filios, fibique ſan-  
 guine junctos, ac demum cunctos ei-  
 dem adhærentes, in vincula conjecit,  
 eosque de clandestino cum Hispanis  
 ac Luſitanis commercio, necnon de  
 unione cum Romana Eccleſia, ac con-  
 juratione falſo inſimulans, capite plecti,  
 plurimosque Catholicos exquisitiſſimis  
 tormentis interfici, & alios in exilium  
 detrudi juffit. Poſtquam vero Adria-  
 nus ſeu Ayafore - Adiam Saged anno  
 evoluti ſæculi quinquageſimo quarto  
 Abiſſiniæ ſeu Æthiopiæ Regnum ca-  
 peſſerat, ex Martyrum ſanguine religio  
 Catholica reſfloſcere videbatur; hic  
 enim Rex, cum morum comitate, ac  
 ingenii docilitate præſtans eſſet, Pa-  
 tribus

*Vid. ſupra  
 t. 58. P. 82.  
 & 518.  
 S. 27. & 48.  
 Pufend. In-  
 trod. Hiſt.  
 l. 7. c. 3.  
 Epift. &  
 Brev. Clem.  
 XI. p. 191.*

Sæc. XVII. tribus reformatis S. Francisci ingres-  
 A. C. 1703. sum indulgens, crebra cum illis de  
 vera religione colloquia miscebat, co-  
 gnitoque suo errore sese tandem Ro-  
 manæ Ecclesiæ reconciliandi propo-  
 situm concipiebat. Igitur P. Josephum  
 ab Jerusalem Ordinis Fratrum Minorum  
 S. Francisci strictioris observantiæ tan-  
 quam Regium Legatum unacum plu-  
 ribus hujus Nationis Viris Romam mi-  
 fit, qui Regis sui nomine munera &  
 literas summo Pontifici offerret, roga-  
 retque, ut Regem suum, ejusque po-  
 pulos ad Romanæ Ecclesiæ unionem  
 admitteret, atque in Æthiopiam Sa-  
 cerdotes ablegaret, quibus ad pleni-  
 orem Doctrinæ, rituumque Romano-  
 rum institutionem uterentur. Adve-  
 nerat hic Ablegatus Romam die quinta  
 Septembris, non sine maximo Romanæ  
 Urbis júbilo: Pontifex quoque eundem  
 perbenigne excipiens, cunctis Legati  
 postulatis annuit, atque unum ex Abis-  
 sinis, qui P. Josephum comitatus fue-  
 rat, paucis inde diebus propria manu  
 solemniter sacro fonte aspersit: postea  
 eidem literas ad Regem affectus &  
 gratulationis plenas consignavit, &  
 Legatum unacum reciprocis muneribus,  
 pluribusque Missionariis anno se-  
 quenti remisit: Epistola autem, quam  
 Pontifex ad præfatum Regem die  
 octava

octava Martii dederat, hujus erat tenoris :

Sæc. XVII.  
A. C. 1703.

*Illustris ac potentissime Rex, salutem & lumen Divinæ gratiæ.*

„Omnipotenti Deo, qui fons est, &  
 „origo bonorum omnium, in humili-  
 „tate cordis nostri gratias egimus, ubi  
 „literas Celsitudinis tuæ accepimus a  
 „dilecto Filio, Religioso Viro, Josepho  
 „a Hierusalem Ordinis Fratrum Mino-  
 „rum sancti Francisci strictioris obser-  
 „vantix, eodemque interprete, & multa  
 „de te Nobis ingenti cum laude refe-  
 „rente, cognovimus præclarum desi-  
 „derium, quod foves, nedum ample-  
 „ctendi veram, ac sinceram cum hac  
 „sancta Romana Ecclesia in professione,  
 „& cultu Christianæ fidei unitatem,  
 „sed ad eamineundam inducendi exem-  
 „plo, & Authoritate tua amplam istam  
 „Nationem, hoc ipso nomine olim ce-  
 „lebrem, quia haustam ab ipsis primor-  
 „diis Ecclesiæ Catholicam veritatem  
 „fideliter custodivit. Credere sane par  
 „est, Deum ipsum Authorem tibi fuisse  
 „tam salutaris consilii, ut eo per te  
 „alacriter suscepto fluant super Caput  
 „tuum cælestis Misericordiæ divitiæ.  
 „Monitis itaque Supernis obsequi ne  
 „differas; decet enim, ut quando in  
 „ex-

Sæc. XVII., excelfo terrenæ dignitatis folio con-  
 A. C. 1703., stitutus ad multos late Populos tui No-  
 minis authoritatem protulisti, con-  
 versis in Cælum oculis ad veram,  
 atque mansuram felicitatem aspises.  
 Frustra vero tantum bonum assequi  
 contendes, nisi Deo placere satagas  
 consentiendo in his, quæ ad æternam  
 salutem pertinent, cum hac sancta,  
 & Apostolica ipsius Ecclesia, quæ  
 traditum sibi ab eo veræ fidei deposti-  
 tum fideliter servavit, & servat, fuit-  
 que antea, estque modo, & erit per-  
 petuo omnium per orbem Ecclesiarum  
 vera, & unica Mater ac Magistra.  
 Cum itaque Nos, nullis quidem me-  
 ritis nostris, sed Dei ipsius ordina-  
 tione regimen ejusdem Ecclesiæ ob-  
 tineamus, & ad obeundum per to-  
 tum Christianum orbem universalis  
 Pastoris munus vocati simus, libenti  
 animo, & omni charitate complecti-  
 mur Celsitudinem tuam tam probe  
 inclinatum, hortantes, & obsecrantes  
 Te per Nomen Domini Nostri Jesu  
 Christi, cujus vices in terris gerimus,  
 ut inita præfata unitate, eaque ad  
 tuas ditiones, ac regna, quantocyus  
 fieri poterit, propagata, properes ad  
 salutem. Curare autem potissimum  
 debes, ut subditi tui documentis fidei  
 Christianæ recte instituantur, & quæ  
 aut

„aut per longam annorum seriem de  
 „primæva veritate isthic exciderint,  
 „aut per quascunque rerum vicissitu-  
 „dines adversus eam inducta fuerint,  
 „sublato omni errore ac falsitate ad pu-  
 „ritatem, & receptam ab hac verita-  
 „tis cathedra intelligentiam reducan-  
 „tur. Quod ut feliciter cum Dei ope  
 „perfici possit, iterum isthuc mittimus  
 „cum nonnullis sociis præfatum Reli-  
 „giosum Virum Josephum ob singula-  
 „rem integritatem, ac pietatem Nobis  
 „admodum gratum, atque probatum:  
 „qui quidem omnes incensi Zelo ho-  
 „noris Dei, pro cuius amore terrena  
 „quoque a se abdicarunt, optime au-  
 „tem Præceptis Evangelicæ Doctrinæ  
 „versati satagent Populos istos erudire  
 „ea lenitate, atque mansuetudine,  
 „quæ publicarum rerum ordinem, ac  
 „statum nullo modo perturbare possit.  
 „Gratissimum propterea Nobis erit, si  
 „eundem Josephum, veluti ablegatum  
 „nostrum, aliosque ejus socios non sua,  
 „sed quæ Christi sunt, quærentes, nul-  
 „lique lucro, præter quam animarum,  
 „inhiantes, benigne exceperis, tan-  
 „quam eos, quos Successor Principis  
 „Apostolorum, Caput Ecclesiæ, &  
 „Christi Vicarius, isthuc misit ad offe-  
 „rendum Tibi, ac Regno tuo spirituale  
 „bonum, & ad detergendam omnem  
 „ma-

Sæc. XVII.  
 A. C. 1703.

Sæc. XVII. „maculam mentibus hominum fortasse  
 A. C. 1703. „inpersam, quæ in ipsis candorem fi-  
 „dei inficere quodammodo potuerit. Ut  
 „autem aliquale pignus amoris Nostri  
 „ad Te perveniat, nonnulla munúscula  
 „sæpe memorato Josepho tradidimus,  
 „quorum quædam ad tuendam, aut  
 „reparandam Corporis incolumitatem,  
 „valde proficere dijudicantur, ac pre-  
 „tiosa habentur, ut intelligas Nos,  
 „dum cordi imprimis habemus spiri-  
 „tualem tuæ animæ salutem, quæ  
 „profecto longe maximi momenti est,  
 „temporalis etiam rationem habere:  
 „quædam vero raritate, & industria  
 „potius operis, quam suo pretio æsti-  
 „manda, quæ nostro Nomine ad Te de-  
 „ferentur. Deum interim enixe pre-  
 „cari non omittemus, ut Tibi sit libe-  
 „ralis ejus luminis, per quod ad per-  
 „fectam Catholicæ veritatis agnitio-  
 „nem ipse devenias, ac tecum eos, qui  
 „Tibi subsunt, in gremium amantissi-  
 „mæ Matris Ecclesiæ deducas, & Celsi-  
 „tudinem tuam diu lætam, & sospi-  
 „tem esse peroptamus. „